

iidem; hi lacustres, et Chalcides Aristotelis, Sardella, et Aquo Fracastorii. Anglorum Sprat, et Hollandorum Sprot, ad quos fumo siccatus adferri solet, haud alium puto quam Sardam aut Sardinam sicuti et illum quoque, quem Rondeletius scribit, Agathopoli magna copia capi solere, nominarique Calliques vel Laschez; et Massiliae Garengades, licet ipse Membradem esse velit: ut enim Calliques ex Chalcis corruptum esse videtur, ita etiam Lachez ex Laccia; quo nomine in multis Italiae locis Alofa appellatur, cui simillima est Sardina, et ipse quoque eum Alofae similem esse profitetur. *Harengades* vero etiam dici videtur, quod et Harengo similis sit, et similiter salita per mediterranea loca venalis effertur. *Icones* et *Descriptiones* diversas quinque apud Aldrovandum invenies.

*Prima*, pisciculus est Aphyae Phalericae omnino similis, nisi paulo major, et spissior esset, a parva Alofa, ore, branchiis et oculis, pinnae numero, situ, squammis, cauda minime discrepans, sed in hoc tantum, quod Alofa sit latior. Sardina igitur squamas magnas, tenues habet: colore est vario, nimirum capite aureo, ventre albo, dorso cum viridi caeruleo, utroque splendido, rutulanteque dum viva e mari extrahitur: una enim cum vita viridis evanescit, caeruleoque manente, eoque hebescente et splendorem suum amittente. Intestina habet parva et recta, Alofarum intestinis similia.

*Altero loco picta*, in qua pictor pinnae nullas expressit, capite est rubicundo, corpore toto subviridi, praeter duas, quae in ea conspicuae sunt, lineas, quae sunt caeruleae. Cauda ad castaneum in extremo vergit. Sardae Flandricae nomine missa est.

*Tertia* eodem quoque nomine, sed maioris cognomento communicata, pinnae habet nigras, quarum situs (dum modo pictor recte expressit) alterius speciei piscem esse indicat. Colore est vario, viridi nimirum violaceo, paleari et rufo. Maculae in lateribus sunt nigrae: in pectore croceae.

*Reliquae duae species*, dorso sunt viridi, ventre argenteo. Prior in extremitatibus ossium, quibus branchiae teguntur, rubent. Oppianus *Oppian. Hal. l. x.* dum scribit:

*Chalcides et Thrissae passim Abromidesque feruntur,*

*Et curvis habitant scopulis et littora visunt,*

*Atque catervatim percurrunt aequoris undas,*

*Alternantque imas ponti, curruntque per aequor,*

*Hospitium mutant semper, pontoque vagantur.*

iis qui vagabundam vitam agunt, accenset. Capiuntur Massa exervis frictis et myrrha vino odorato excepta, confecta; aliquando foliis betulae, qua impense delectantur. Adhibentur quidem *in cibis*, sed revera, ut Hicesius apud Athenaeum dicit, ἀχρηάδεις καὶ ἀλυπεῖς καὶ ἀχρηοί, id est squalidi, nec multum pingues sunt, nec copiosum succum in alimentum praebent. Apicius farcire eas docuit, Galenus ad salendum aptissimas dixit. *Medicum* usum quod spectat, in prima mensa sumptae, alvum subducunt. Capite, in puero quodam, loco balani feliciter usus est Brasavolus. Marcellus exustas sine osse, vel salsamentum, et confrietas, si varicibus supponatur, statim prodesse scribit. Idem Sardae caput combustum, medicamento ad gingivarum tumorem, foetoremque admiscet. Privatim contra presteris morsum valet, si Plinio credimus.

*Apic. l. 9. c. 10.*

*Galen. de facult. Alim. l. 3.*

*Marcell. c. 11. 19.*

